

*Procurator des Trierer Klerus. Replicaciones secunde commissionis.*

*Kop.: ROM, Bibl. Vat., Ottobon. lat. 2745 f. 122<sup>r</sup>–132<sup>r</sup>.*

*Erw.: Meuthen, Trierer Schisma 33 Nr. 56 und 171.*

*Zum Datum s. Meuthen a.a.O. 33. Die Replikationen richten sich gegen die von der Gegenseite vorgelegten Quadruplikationen Nr. 184. In den Duplikationen Nr. 186 wird NvK durchgehend als Verfasser der Replikationen bezeichnet. Andererseits verteidigen diese den venerabilem magistrum Nicolaum de Cusa gegen seine Beurteilung in den Quadruplikationen Nr. 184 mit entsprechender Bemerkung über seine Verfasserschaft der Duplikationen Nr. 183. Wie bei diesen Duplikationen ist auch für die Replikationen Nr. 185 entscheidender Anteil des NvK bei der Abfassung anzunehmen, so daß die gegnerische Zuschreibung inhaltlich wohl richtig ist. Das Schriftstück nennt sich 'Replik' im Hinblick auf die Exzeptionen innerhalb der Quadruplik. In den Duplikationen Nr. 186 gegen die Replikationen Nr. 185 werden diese wiederum als articuli seu excepciones pro iustificatione pretensarum commissionum partis adverse genannt.*

Ad iustificandum commissionem vobis reverendo patri ultimo pro parte cleri domini temporalis civitatis et diocesis Treuerensis et presertim eorum, de quorum mandatis apud acta presentis cause constat, presentatam necnon ad confutandum quasdam pretensas excepciones contra dictam commissionem ac alias quadruplicaciones calumpnias novissime pro parte adversa exhibitas . . . dicit, quod  
5 omnia et singula per partem adversam obiecta sunt impertinencia, inadmissibilia, falsa et inutilia, frivole, mendose et sine ratione aut aliquo iuris colore fundata, iniuriis plena, irritandi animo procuratores cleri supradicti, callide, fraudulenter et fecte proposita atque talia, que nullomodo relevant partem adversam, nec intencionem eius fundancia, sic quod eis nulla fides penitus est adhibenda, prout extenore ipsorum exhibitorum et actorum huius cause inspeccione clare patere poterit cuilibet intuenti,  
10 prout infra laicius dicetur suis loco et tempore oportunis.

Protestatur iterato idem procurator sui et suorum constituencium nominibus de diversis iniuriis, contumeliis et blasphemis per allegantes in dicto ultimo scripto pro parte adversa exhibito dicto clero et eorum procuratoribus illatis, famam et honorem eorum denigrantibus, quas nominibus predictis ad animum revocat, ac de hiis illatis iniuriis earumque ad animum revocatione instru-  
15 mentum et instrumenta petit tempore et loco suis contra prefatos iniuriantes illas prosequi intendens. Nichilominus tamen ad iniurias presentem processum cause aequaliter tangentes inferius idem procurator dicti cleri easdem confutando respondebit. Alie enim iniurie mendose et false procuratoribus cleri sepedicti ac eidem clero imposite non in alium finem allegate sunt, nisi quod hii procuratores hiis iniuriis irretiti a proposito se divertant et principale intentum, quo manifestas et  
20 notorias nullitates processuum pretensorum ad instanciam domini Rabani episcopi Spirensis contra dictum clerum nulliter, minus iuste et de facto ac maliciose fulminatorum in lucem prodire intendunt, negligant aut postponant; sed hii adversarii suis cavillationibus deo duce minime in hiis efficaciter quidquam possunt optinere.

Hiis premissis primo ad articulum, qui incipit 'In primis descendendo ad speciem' etc.<sup>1)</sup>, dicit,  
25 quod in presenti causa cleri supradicti nec de cathedrali nec de collegiata ecclesiis disputatur neque de harum ecclesiarum iure, titulo aut proprietate — cum ipse clerus nec episcopatum aut ecclesiam cathedralem seu beneficium desideret, hec etenim in universitatem cadere non possunt — nec de aliquo fundamento ad id faciente, sed solum se per quosdam iniquos et iure nullos processus reverendi patris domini episcopi Herbipolensis ad instanciam domini Rabani episcopi Spirensis nulliter emanatos lesos  
30 et gravatos querulantur, ut ex commissionibus et querelis in eadem causa coram vobis oblatis palam et manifeste constat. Nec quidem de ea nullitate tamquam de re dubia apud peritos disputacio exorta est, sed tamquam de re notoria et manifesta hiis, qui et iura et factum sciunt; et aliis hoc ignorantibus dubia questio exorta est, cuius veritas per dei gratiam luce clarius manifestabitur in propatulo. Sed in hoc parcendum est alleganti hoc decretum quinte sessionis ad causam dicti cleri presentem trahenti,  
35 quia affectione tanta ducitur ponendi dominum suum in solio maiestatis, quod, etsi quispiam sibi causam mere prophanam moveret, ad causam ecclesie Treuerensis reducere et ipsam tamquam cathedralem defendere conaretur. Sed nec hoc admiratione dignum, cum affectio hominis nostris tempo-

37 hominis: homines (*unsere Emendation nach Nr. 186 Z. 29*)

<sup>1)</sup> Nr. 184 Z. 3.

ribus intellectum execat, quod neque verba aut mentem eorundem digne interpretari possint, ymmo licet conceptor harum excepcionum supra venerabilem magistrum Nicolaum de Cusa, quem 'iuris speculum'<sup>2)</sup> suis in allegacionibus ac 'rabbi iurium se iactare'<sup>3)</sup> falso et aperto conficto mendacio simulque 40 excepcionum conceptorem<sup>4)</sup> dicit, qui nec scripto nec verbo hoc umquam expressit, cum per dei gratiam suarum potenciarum quoad scienciam et intelligenciam ac earum mensuram plus conceptore huius pretense excepcionis habeat, qui in singulis — salva reverencia et citra iniuriam ipsius excipientis loquendo — aut passionatus aut munere favoreve cecatus aperte convincitur, qui se et scientem et intelligentem iurium interpretem facto nititur ostendere, quando obscurato intellectu videtur 45 illam sessionem allegare, que tantum ad propositum facit sicut quinta rota in curru. Item si hec bene foret causa talis, de qua loqueretur quinta sessio et allegatum decretum quinte sessionis, quod non creditur, tamen adhuc non obstaret hec exceptio, quoniam non sumus in casu, in quo commissio facta sit alicuius cause, sed iam facte commissionis de mandato tocius concilii declaracio ad tollendum cavillationes, cum quibus pars adversa se tueri nititur. Confutata sunt ergo, que pro parte ad- 50 versa dilatatis fimbriis enarrantur usque ad articulum incipientem 'Item quod prefata commissio' etc.<sup>5)</sup> Ad quem dicitur, quod ex subscriptione secunde commissionis vobis, r. p., nuper presentate satis habunde prospicitur, a quibus illa processerit, ita quod ea annullacio verbis tantummodo inservire videtur ac protelandi processus et impediendi iusticie causa ille iam prelibatus producit articulus.

Item ad articulum, qui incipit 'Item quod in eventum et casum' etc.<sup>6)</sup>, et quoad eius primam partem 55 dicit, quod adversarius ignoravit hanc certissimam iuris prudentum sentenciam, quod tam sublimes persone, quales sunt signanter sancte Romane ecclesie cardinales, sua exercentes officia, non tenentur in exercitiis suorum officiorum cerciores reddere personas, quas ipsi dstringunt seu de quorum iure vel preiudicio apud ipsos agitur, unde eis auctoritas concessa sit exercicii, quod hoc casu tanto magis ludibriosum fuit ab adversariis investigare, quanto manifestius vident seu videre adminus debent ip- 60 sum r. patrem dominum vicecancellarium et dominos precognitores officium prefatum in universalis ecclesie conspectu exercere. Quoad secundam autem huius articuli partem, qua false asseritur, quod nullitas pretensorum processuum non sit a sacro concilio commissa etc., refert se procurator seu syndicus ad ea, que in prima commissione atque in replica prima ponuntur atque exposita sunt per ipsum, et hic ea dat loco replice, inquantum faciunt et facere possunt pro se et parte sua et contra 65 partem adversam et non alias, aliter nec alio modo.

Item ad articulum, qui incipit 'Item quod predicta pretensa commissio fuit' etc.<sup>7)</sup>, dicit: quod facta revellunt, si videt, quis causam agitat in vestra iudiciali presencia, et satis ex hoc manifeste et notorie apparebit et usque nunc apparuit per procuratoria producta, ad cuius aut quorum instanciam huiusmodi commissio facta sit et quis illius vigore contra dominum Rabanum episcopum Spirensem agere 70 pretendat.

Ex hiis eciam clare patet inanitas duorum sequencium articulorum. Dudum enim sunt vacuati et per ipsam novissimam commissionem et per ea, que in prima replica in actis presentis cause per procuratorem cleri supradicti mota fuere, sunt penitus exinaniti.

Item ad alium articulum sequentem, quo pretenditur ius quesitum partis adverse per quamcumque 75 signaturam auferri non posse<sup>8)</sup>, procurator nomine quo supra valde miratur, quod tam indigesta et ociosa verba a viro, qui se monarcham legum pretendit, in medium proponuntur. Nullum enim ius ex privacione quoquomodo acquiri potest. Si enim quid defectuosum foret, ius nullum tribuere potest. Et si fortassis conceptor huius pretensi articuli omnino improprie et absurde dicere vellet ius quesitum parti sue, saltim excipiendo, tunc tamen dicitur hoc ius ab illo, qui a principio defectum supplere 80 potuit, si quis foret, ad sui libitum posse auferri, sicut ab eo processit. Nec potest adversarius impedire, quominus defectus, si qui sunt in instrumentis seu commissionibus, suppleantur. Item ad idem: hec commissio novissima est declaratoria prime, sed qualecumque ius prima in se contineat, ista cla-

50 tueri: tuere 76 81 auferri: auferre

<sup>2)</sup> Nr. 184 Z. 32.

<sup>3)</sup> Nr. 184 Z. 22f.

<sup>4)</sup> *Damit sind die Duplikationen Nr. 183 gemeint; s.o. Nr. 183 Vorwort.*

<sup>5)</sup> Nr. 184 Z. 7f.

<sup>6)</sup> Nr. 184 Z. 9ff.

<sup>7)</sup> Nr. 184 Z. 14ff.

<sup>8)</sup> Nr. 184 Z. 26f.

rius exprimit, volens vos, reverendum patrem, procedere debuisset atque debere perinde, acsi in prima commissione ea, que implicite ex vero intellectu comprehendebantur, fuissent clarius explicata.

Item descendendo ad illa, que obiecta sunt contra procuratoria pro parte sepedicti cleri iudicialiter producta<sup>9)</sup>, procurator predictus hic dat et repetit ac pro datis et repetitis habere vult omnia et singula dicta, proposita ac superius in actis presentis cause pro parte sua oblata, que faciunt aut facere possunt pro iustificacione et validacione procuratoriorum pro parte dicti cleri productorum atque impugnatione et invalidacione eorum, que contra dicta procuratoria per partem adversam data sunt et producta, ceteraque pro dicta sua parte acta et actitata, in quantum pro eadem faciunt seu facere possunt, et non alias neque alio modo. Quibus premissis articulum, qui incipit 'Item respondendo pre-tensis triplicacionibus' etc., et ad sequentem iudicio iudicantis relinquit procurator cleri supradicti, quanta veritas hiis allegatis suffragetur tenore dictorum procuratoriorum inspecto. Ex quibus liquet, an de consensu et voluntate omnium nominatorum in dictis mandatis procuratores cleri tractent et prosequantur huiusmodi causas et bene fatui essent procuratores, tantum onus humeris suis imponendo, si dominos suos non scirent consentire et ratificare gesta, acta et agenda etc. Et in quantum de revocacione huiusmodi articuli tangunt procuratorium ex secunda constitutione ultra ea, que prius pro parte cleri data sunt, dicit, quod, si oculate et digeste legem illam, quam allegat, prospexisset, vereretur, qui tante cause se practice subicit, legem hanc presenti in casu allegare. Hic namque clerus civitatis Treuerensis unum procuratorem constituit et certus clerus diocesis eundem una cum aliis ad simile procuracionis officium deputavit, et hoc, licet diversis temporibus actum extitit. Tamen lex non obstat, cum sit eadem semper persona, que per prius et posterius constituta est. Et quod clarius est, specificè in ipsis procuratoriis diversi nominantur constituentes. Unde concluditur neminem tam insanum, qui unam constitutionem aliam revocare dicat, que nil habet cum prima constitutione commune. Presupposito etiam, non concesso, quod iidem essent constituentes, tamen adhuc revocacio dici non deberet, quia idem in primo procuratorio expressus in secundo nominatur. Que quidem nominacio plus operabitur, quam si dixisset expresse 'citra suorum procuratorum revocacionem' etc., ut suo tempore lacius de iure apparebit.

Item ad articulum, qui incipit 'Item ad illud quod adversarius consequenter' etc.<sup>10)</sup>, dicit quoad primam partem, quod allegans non bene caudam articuli, quem impugnatur, respexit, quem utique, si lumine intellectus et non carnalibus oculis more Pilati inspexisset, non dixisset procuratorem cleri confessum fuisse aliquem de civitate Treuerensi clerum obedienciam domino Rabano fecisse. Condicio-nalis enim est articulus, qui nichil ponit. Ad secundam partem articuli dicit, quod satis miratur de presumpcione, animositate seu potius supersticione quadruplicantis in eo, quod quasi se certum reddit et divinare presumit de conceptore productorum ex parte cleri sepedicti, de quo tamen potius dubitare habet quam assertive aliquid ponere. Sed in hoc, quod dicit in hoc articulo et pluribus arti-culis sequentibus procuratores cleri atque eundem clerum fore censuris ecclesiasticis ligatos, de heresi suspectos etc., false, mendose, nequiter et maliciose hoc allegat, cum ipsi sint boni veri catholici atque sancte matris ecclesie membra, censuram ecclesiasticam debite et legitime iuxta iuris ordinem promulgatam formidantes atque hanc potestatem censuras fulminandi, ligandi et solvendi fore aput sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam. Censuras autem nulliter, de facto, temere ab eo, qui inabilis ad huiusmodi censuras fulminandi reputatus fuit et hodie pro tali reputatur et habetur, palam et publice decretas et fulminatas parvipendunt, contempnunt, spernunt atque easdem nullo iure approbatas sciunt et tamquam nullas abiciunt, cum id, quod nichil est, ligare non possit. Quales sunt censure per assertum executorem dominum episcopum Herbipolensem et suos subdelegatos ad instanciam domini Rabani episcopi Spirensis nulliter et de facto contra insontes subditos diocesis Treuerensis fulminate, quod apud omnes notorium est, palam, publicum et manifestum et deo duce suis loco et tempore ex processu cause clare patebit, cum hec sit materia principalis, quam dictus clerus coram vobis reverendo patre prosequi intendit. Et dato, non tamen concesso, quod pretensus processus domini Herbipolensis validus esset, tamen propter appellaciones ante censuras huiusmodi pretensi processus legitime ad hoc sacrosanctum Basiliense concilium interpositas huiusmodi censure nulle convincerentur tamquam post appellaciones fulminate.

Et per hanc responsionem satisfactum est etiam articulo in fine posito, qui incipit 'Item ad illud quod dictus assertus procurator dicit quod vult prestare caucionem' etc.<sup>11)</sup>, in quo articulo etiam

<sup>9)</sup> Nr. 184 Z. 28ff.

<sup>10)</sup> Nr. 184 Z. 36ff.

<sup>11)</sup> Nr. 184 Z. 71ff.

dicit, 'quod procurator cleri se actorem pretendat', et in isto casu non admittitur cautio de iure etc., dicitur: utrum in casu presenti, quo super nullitate processuum procurator dicti cleri procedere intendit atque appellaciones eorundem prosequi proponit, iudicantis relinquatur arbitrio. Et presupposito ipsum esse actorem et non defensorem, tamen nulli dubium, quin, si de mandato dubitatio oriretur, admittendus esset, dummodo sufficientem de rato prestaret cautionem, et hoc utroque iure, 140 si quis bene tueretur, expresse cavetur. Et si que lex diceret in dubio cautionem de rato locum non habere, in casu nostro minime loquitur.

Item ad articulum, qui incipit 'Item ad aliam replicam' etc.<sup>12)</sup> dicit, quod dato, quod ille terminus 'clerus communis' nomen sit collectivum, tamen per terminos in commissione prima positos restringitur atque restringi debet ad eum clerum communem, qui in procuratoriis, nomine cuius dicta com- 145 missio impetrata extitit, expressus est et causas nullitatis et appellacionum predictarum prosequi intendunt, et sic precognitores sacri concilii hanc commissionem primam signando ad expressos in procuratoriis predictis prius ab ipsis visis et examinatis se retulerunt. Item ad idem, si in casu nostro materia dici debet naturalis, cuius tamen oppositum creditur, et si opus foret, oppositum probaretur, tamen adhuc indefinita non equipolleret universali, quia non omnium particularium eadem est ratio 150 et condicio propter accidens in casu proposito etc. In hoc tamen pro presenti diucius immorandum non est, cum pretextu declarationis secunde commissionis quilibet de clero diocesis Treuerensis in presenti causa nullitatis atque aliis in predicta commissione explicatis agere potest et se defendere.

Ultimo ad alios articulos postea usque ad finem positos dicit procurator cleri sepedicti, quod omnia et singula posita in hiis non sunt nisi convicia, fabule, iniurie, mendacia totaliter et excogitata, 155 culpam magistro Nicolao de Cusa tribuens rei geste, cuius minime autor fuit, si saltem reprehensibilis res gesta cum domino electo Treuerensi in principio dici debet, quod tamen nequaquam creditur, cum provisio domino electo de ecclesia Treuerensi, approbante tota patria, auctoritate capituli dicte ecclesie, cuius interest vacante ecclesia de futuro pontifice providere, facta sit et sortita effectum, prout hactenus de iure et laudabili consuetudine observatum extitit. Utinam hanc sanctam et lauda- 160 bilem provisionem conceptor exhibitorum partis adverse in hac causa suis callidis persuasionibus, consiliis, favoribus et auxiliis in destructionem huius sancte et antique ecclesie Treuerensis atque suarum devotarum incolarum in persona domini Rabani episcopi Spirensis non inbrattasset ac in turbacionem posuisset! Horum eciam ultimo exhibitorum conceptor in suis pretensis articulis satis inur- bane, rude et indigeste — salva eius reverencia — falsissime iuxta morem suum solitum r. p. domi- 165 num Vdalricum electum Treuerensem diversis conviciis iniuriose pungit, cum tamen hac in causa de iure ipsius penitus nulla mencio principaliter facta sit aut de eius titulo disputetur de presenti, quare merito eundem dominum electum maculare et infamare in suis honore et persona non deberet.

Quibus sic positis eciam procurator predictus cleri supradicti protestatur, quod per premissa in nullo intendit iniuriari parti adverse aut alteri cuicumque iniuriam inferri, sed dumtaxat ius partis 170 sue et honorem eiusdem, quem procuratores partis adverse aut conceptores excepcionum suarum et quadruplicacionum calumpniöse et studiose iniuriandi animo denigrare intendunt, et ad ostendendum partis adverse apertam maliciam, malam causam, debile fundamentum ac cavillationem, et non aliter nec alio modo.

---

172 intendunt: intendit.

---

<sup>12)</sup> Nr. 184 Z. 51ff.

<kurz nach 1433 Juli 15.>

Nr. 186

<Job Vener.> Duplicaciones contra secundam commissionem et alia.

*Reinentwurf: Rom, Bibl. Vat., Ottobon. lat. 2745 f. 115<sup>r</sup>-121<sup>v</sup>.*

*Druck: Heimpel, Vener Nr. 49.*

*Erw.: Meutben, Trierer Schisma 34 Nr. 57, 83 und 171f. (mit Auszügen).*

*Zum Datum s. Meutben a.a.O. 34. Angriffssache sind die — von den Duplikationen NoK zugeschriebenen — Replikationen Nr. 185.*